



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fvldensivm Antiquitatvm Libri IIII.**

**Brouwer, Christoph**

**Antverpiæ, 1612**

Capvt XII. Exercitationum harum vsu stetisse religionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39712**

## CAPVT XII.

*Exercitationum harum usu stetisse religionem.*

**I**ACOBVS Vitriacus Cardinalis, Friderici secundi ætate, Honorio tertio sedente, floruit. Is in historiã suã Occidentali, quã religiosarum familiarum aut iacentem disciplinam deplorat, aut itantem laudibus attollit, ordinis Nigri, siue sancti Benedicti statum, maiorem in modum labefactatum, hoc incertior luger, quòd nulla religio alia tot sanctis viris abundasset, aut tanto tempore rigorem disciplinae conseruasset, aut tot genuisset Ecclesie pastores; qui excellentis vitæ exemplo, & doctrina verbo collustratis tam multis regionibus, tot è diaboli faucibus animas eripuissent. Quamdiu enim, inquit, gratam Deo, & amicam religioni dilexere paupertatem, ambitionis & solitudinis securi, vigiliis, ieiuniis muniti, noctu diuque in hymnis, psalmis & laudibus diuinis perseuerantes, lectionibus & sacrarum Scripturarum meditationibus insistentes, in cilicio & cinere & cordis contriti compunctione, non solum sua, sed totius mundi peccata lugentes, eorum fama sanctitatis, & odor sanctæ conuersationis, non mediocres & infimos solum afflauit, verum & Reges, ipsosque Principes summos allexit adeò, vt diuitiis & amplis patrimoniis relictis, & habitu religionis suscepto, post odorem unguentorum suaueolentium cursu contenderent; beatos etiam serati, si eleemosynas suas apud ipsos collocassent. Hinc perfectum breuè, vt cum iis temporibus alia monasteria ac religiosorum instituta nata necdum essent, hi immensum possessionibus aucti, cunctos opum affluentia superuaderent. Postquam igitur dulce diuitiarum venenum agris, vineis, decimis, & innumeris aliis vectigalibus eorum superfusum, impinguati, incrassati, dilatati maiorem partem recalcitrare cæperunt; & ne persequare alia, prædæ ac direptioni ipsi cum monasteriis expositi, hoc maiora adiere discrimina, quòd qui suspicere, & integros mores laudare consueuerant illustres viri, paulatim euaderent haud minus ad auferendum proni, quàm olim fuerant ad largiendum prompti. Hæc ferè Vitriacensis. Enimuerò, vt multum ille vidit, qui duo isthæc, nimirum scientiam Scripturarum, & insignem erga Deum optimum charitatem, tamquam fræna & firmamenta ponit, olim

Cap. 20.  
S. Benedicti  
monasterio-  
rum disci-  
plina, ante  
cccc. an-  
nos.  
Ordinis in  
Ecclesiam  
merita.

Rigor & vi-  
ta seueritas.

Incrementa  
facilitatis  
& opum.

Ioan. Tri-  
them. de vi-  
ris illust. ord.  
S. Bened. &  
passim in  
opusc. spirit.

G • confet-

proveri  
antiquitate  
ideales.  
STV  
9



*Morbus,  
eiusq; qua-  
litas.*

conseruatæ disciplinæ; sic, vtriusque remissio interdum, & velut de manibus excusso gubernaculo, quid sperari aliud potuit, quàm quod idem grauissimâ sæpè querelâ Vitriaco consentiens, exaggerat, & multifariàm deplorat? Sed morbi vtiq; peracerbi vulnera libero stylo quamquam tractauit ille quidem, remedia tamen opportuna posterior ætas vix inuênit. & conualescere per hæresis & superiorum temporum licentiam ægrius quoque licuit. nam, quemadmodum aiunt, hastilia detorta, vt corrigantur, aduri, & adactis cuneis, non vt frangantur, sed vt explicentur, elidi: sic & ingenia hominum, manifestum est, vitio praua, non citra ægritudinem animi inflecti; sed morâ tamen spatiisq; datis emendari. Quamobrem vsu venit non rarò, vt quòd in ægris affectisq; membris, sicut illa causticis & ferro cum nequeunt, cataplasmatibus & fotu sæpè confanantur; ita animi vitia alleuatio molestiarum, & à noxiis rebus auocatio, extenuent atque diluant. Ita enim homines ferè naturâ comparati sunt, vt cum ipsi se religionis salutisq; causâ Deo in seruitutem dicarunt, æquabili iure & comitate ad officium alluci, & beneuolentiâ duci velint. Cum enim pars eorum imperent, pars obsequij munus, legesq; parendi vtrò complexi sint, eaque ratione duriores etiam partes in omni officio sustineant, annon agi secum imperiosius arbitrentur, si quod legibus institutisq; maiorum deuincti, sponte aliàs subire parati sunt, ad id præstandum herili more iam se cogi impelliq; sentiant? Sed euenire tamen sapientissimi monuit legislatoris oratio, cum tempora miscere temporibus, terroribus addere blandimenta, salutiferum sit; cum ostèdere nunc severum magistri, nunc pium patris affectum expediat. Auorum certè memoriâ, quid natalibus illustri Abbati in hoc genere vsu venerit, repetere nihil attinet. Is congregationi leges iam pridem desuetas & mores antiquos commendare cupiens, eam in rem maiores natu, & dignitate spectatos in monasterium montis S. Petri conuocarat; & quid voluntatis & animi haberet benignè quidem exponebat, verùm, quàm difficilem consilij sui repererit exitum, vitam quoque suam, vt egrè tutatus sit, non domesticis tantùm litteris, sed Hennebergensium comitum publicis monumentis, ab hæretico item Scriptore proditum est.

Verùm

*Remedij va-  
rietas.*

*C. 2. reg.  
S. Benedi-  
cti.*

*Ioan. Hen-  
neberg.*

*Chron. Hen-  
neberg. lib. 5.*



Verùm de exercitationum vsu, quæ disciplinæ faciunt tuendæ exornandæque, sermo nobis erat. In his diuinarum litterarum afflicta tractatio, quàm vsitata maioribus, tam legislatori eam fuisse cordi, luculenta sanè in regulâ suâ posteris documenta reliquit. Nam ad lectioni vacandum diuinæ sancit, in caput *Quadragesimæ* singulos de bibliothecâ promi codices, eosdem per ordinem ex integro legi: denique ephoros constitui, qui notent inspiciantque desidiosos, & aliis, quàm huic sacræ lectioni, intentos. *Quæ enim pagina, ait idem sanctus Pater, aut quis sermo diuinæ auctori- tatis veteris ac noui Testamenti, non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber sanctorum Catholicorum Patrum, hoc non resonat, vt recto cursu veniamus ad creatorem nostrum?* Quibus haud aliena differit, morum grauitate iuxta ac religione amplissimus Senator Cassiodorus; qui cœnobitas tamquam religiosos quosdam ciues alloquens, urbem eis datam quamdam propriam gratulatur, in quâ concorditer & religiosè viuentes, cælestis iam patriæ gustum præcipiant animis. In hac vrbe nullum relinqui desidiæ locum: sed esse præstò sanctarum Scripturarum dogmatica instrumenta, suis cum inter pretibus; qui veri sint floriferi campi, cælestis paradisi poma suauia, vnde & fideles animæ salubriter imbuantur, & earum linguæ, non caduco, sed fructifero nimis instruantur eloquio. Atque hinc, quo mortiferas mundi delectationes, noxiæque blandimenta faciliùs vincant ceu transitores huius sæculi, ad illud semper festinent remedium salutare, vt legem Domini diebus noctibusque meditentur. Neque enim tunc hostem proteruum apud eos inuenturum locum, cum totum Christus occupauerit animum. Sed prolixiora sunt reliqua; vtque hîc omnia recenseam, non patitur instituta scribendi ratio. Illud inter omnes longè verissimum conuenit; mutuo nexu hæc duo religionis bona sic esse colligata, vt, vbi acre studium diuinarum litterarum, animi puritate & ardore pietatis accensum viger, istic ad penetralia sapientiæ, & adyta Sanctorum, non difficile sit peruenire. Quæ enim fieri possit, vt cuius assidua mens consuetudine poenitissimè fruatur, in huius non medullitus abeat amorem & affectum? Spiritus igitur ille inhabitator & rector cælestis huius gymnasij, vbi per Prophetarum & Apostolorum alloquia, animam exercere & erudire volentem inceperit, sensim ab omni terrestrium rerum fæce purgatam ab-

*Diuinarum litterarum assidua tractatio à S. Benedicto commendata. Cap. 48.*

*Cap. 73.*

*Diuin. instit. lib. c. 32.*

*Quarum meditatio iucunda & salutaris.*

*Animi puritas nutritrix intelligentiæ Scripturarum, &c.*

pro veri  
antiquitate  
videntes.  
STV  
9



Collat. 10.  
c. 11.

Ambarum  
colligata so-  
cietas.  
Valer. Max.  
lib. 2. c. 1.

Adi Paulum  
Lang. Chr.  
Citizen. ad  
an. 968.

ripit; atque ita sapere ac sentire condocet, ut quod præclare apud Cassianum Abbas Isaac obseruauit, *omnes [Scripturarum] Psalmorum & Prophetarum affectus in se recipiens, sententias eorum non tantummodo per Prophetam, aut in Prophetâ fuisse completas, sed in se quotidie geri impleri que cognoscat*; admirabili, scilicet supernè, docentem inter & discentem reciprocante commercio. Quas Athenas, aiebat ille, quam scholam, quæ alienigena studia huic disciplinæ prætulit? Inde oriebantur Maggentij, Strabi, Luitberti, Haimones, Freculphi, ac ne plura monasterij huius lumina ante tempus ingeram, inde, inquam, Germaniæ clarissima pars, tot in Moguntiacensi cathedrarum primâ, nobiles fulserunt Archiepiscopi.

### CAPVT XIII.

#### *Præstantium doctrinâ & pietate virorum corona quadam obiter monstrata.*

Prosapia est  
stemma vir-  
tutis doctri-  
nâ, antestat  
liberorû pro-  
pagationi.

Hieron. ad  
Celsantiam.  
Ambros. cit.  
cap. 4.  
Stirpis huius  
fecunditas.

Cap. 44.

**P**RAECLARE S. Ambrosius de Noë & arcâ scribens, *proba-  
ti viri genus*, dixit *virtutis esse prosapiam*: ut, qui stirpem  
corporum coniunctione propagatam huic, quam propria con-  
stansque virtus progigneret, meritò postferret. Quippe virtutis  
ad nepotes transmissæ *vna secura & inuiolabilis est possessio*, quæ  
neque naufragio neque incendio amittitur, nec tempestatum  
nec temporum permutatione mutatur, *quâ præditi qui sunt,  
apud Christianos verè sunt nobiles*, possidentque res & fructuosas  
& sempiternas. Quo eorum & genus & speciosæ stirpis imagi-  
nes magis suspiciendæ sunt, qui ut Ecclesiæ liberos præstantes  
gignerent, horumque stirpem immortalitate donarent, vno  
virtutum partu procreationem suam absoluerunt; eamque si-  
militudinem iis diuinæ mentis impresserunt, ut Dei crederes  
potius, quàm hominum fatu genitos, & diuino quodam partu  
in lucem effusos. Atque huius prosapiæ titulos luculento ser-  
mone Ecclesiasticus adumbravit; *viros eos testificatus gloriosos,  
quorum cum semine vsque perseuerent bona, quorum & sancta sit  
hereditas nepotes eorum, quorum denique liberi propter ipsos sempi-  
ternam æuam immortali cum gloriâ degant.* Atque, ut Cosinum  
Theo-